Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regula VII. Quaecunque sunt eadem, etiam pradicata habent eadem & ipsa de iis dem praedicantur

urn:nbn:de:bsz:31-102400

Visual Library

poſſunt accidere ſpeciei: quemadmodum animali non repugnat eſſe quadrupes; in hominem tamen id non cadit. Sic voluntas & appetitus non ſunt idem, quia appetitus non hominis ſolùm, ſed & bruti eſt accidens, at voluntas homini tantùm ineſt.

REGULA VII.

Quæcunque ſunt eadem, etiam prædicata habent eadem, & ipſa de iiſdem prædicantur,

I. Prior Regula loqvebatur tantùm de accidentalibus prædicatis, at hæc concernit omnia prædicata, ſive accidentalia ſint, ſive eſſentialia & eſt ἀντίστροφος. Quæcunq; enim ita ſe habent, ut quæcunque de unô prædicantur, ea etiam prædicentur de altero, & de quocunque unum prædicatur, de eo etiam prædicetur alterum, illa ſimpliciter idem ſunt. Quod ſi verò ſubjecta aut prædicata diſcrepent, non erunt ſimpliciter eadem: ut quod κρᾶσις & forma ſubſtantialis non ſint idem, ex eo manifeſtum eſt, quod de κράσεως prædicetur, compoſitum eſſe ex elementis, ſed de formâ id ipſum prædicari haut poſſit. Hâc Regulâ docet Ariſtoteles *I. de gener. & corrupt.* διάκρισιν & φθορὰν non eſſe idem formaliter, quia de non abolitis ſubſtantiis prædicetur διάκρισις, de quibus tamen non prædicetur.

Φϑορὰ. Poteſt hinc etiam probari, quod etiamſi eſſentia divina & pater (eademque eſt ratio aliarum perſonarum) reipſa idem ſint, non tamen ſimpliciter idem ſint, quia ſcilicet diverſa habent prædicata: prædicatur enim aliquid de eſſentia, quod non prædicatur de patre. Eſſentia enim eſt communis omnibus tribus perſonis, ſed pater non eſt aliquid commune tribus perſonis, cùm Pater, Filius & Spiritus Sanctus divina quidem eſſentia & DEUS ſint, ſed Filius & Spiritus Sanctus non ſunt Pater.

II. Complectitur hæc Regula ſub ſe præcedentem & plures alias, quas Ariſtoteles *cit. Cap. I. Lib. VII. Top.* proponit, quales ſunt: *Quæ ſunt eadem, ſunt in eôdem prædicamentô, habent idem genus, habent eaſdem differentias. Quorum unum recipit intenſionem, alterum non recipit, aut ſi utrumque recipiat quidem, ſed non neceſſariò eôdem tempore, illa non ſunt eadem.* Ut amor non eſt idem, quod cupiditas congrediendi, licet enim utrumq; recipiat intenſionem, fit tamen, ut quis amet, nec tamen magis cupiat congredi.

REGULA IIX.

Quorum unum poteſt eſſe ſine altero, illa non ſunt idem.

Ut: non ſunt idē formaliter continens & temperans, quia poteſt eſſe continens, ut non ſit tem-

pe-